

Q. N. 357, 276.

X 1860.453

A & Ω.

DISPUTATIO ETHICA
Secunda



(2)

De
SUMMO BONO
PRACTICO

Quid non sit

Quam

Inclytæ Facultatis Philosophicæ præscitu
ac indultu

P R Æ S E S

M. DAVID Schwertner / BOHEMUS,
Facultatis Philosophicæ Assessor & Collegii Major.
Princip. Collegiatus,

&

R E S P O N D E N S

CHRISTIANUS BERNHARDI, Mitweidâ Misnicus,
Art. Lib. Baccal.

Publicè proponunt

die 4. Novemb, 1654.

boris locoq, consuetis.



L I P S I Æ,

Typis **JOHANNIS Wittigau.**



Handwritten text on the manuscript pages, including the name 'M. DAVI' and other illegible words.

Handwritten text on the right page of the manuscript, including the name 'M. DAVI' and other illegible words.



EXORDIUM.



Pulcherrimè simul ac verissimè monet *Scaliger exercit: 148. sect. 4.* Non tanquam Arenarij vel pretio adducti vel supplicio coacti ad certamen literarum descendere nos debere, sed animi gratiâ cuius pabulum veritas est. Turpè enim imò nihil turpius, quàm ex omnium rerum domino atque dictatore intellectu nostro, efficere mancipium alienæ libidinis: Idem: *scal. exerc. 6. sect. 4.* Sine metu & sine adulatione agenda res omninò cum suscipitur veritatis Patrocinium: Nihil formidandum amatori veritatis, nam pulchrum est pro veritate & vincere & vinci. Cumque igitur nihil beatius sit quàm *scire*, nihil divinius quàm *docere*, nihil veræ felicitati propius quàm *discere*, ut idem ait *Scaliger. exercit 216. sect. 1.* & omnes in id unum studeamus, ut horas nostras jucundas atque fructuosas faciamus: Hinc ad veritatis indagacionem atque conventionem magno animo per salebras atque tenebras iter nostrum ut conferamus, assertiones quasdam *de Summo Bono Practico* depromere, easque Eruditorum censuræ *Socratica libertate* examinandas excutiendasque iterum proponere constituimus. Quod dum facimus, *Deum nostrum* ceu *Summū & Immensum Bonum* devotis venerabundi suppliciiis precamur, ut jubare Sapientiæ suæ spissa caliginum cispellat, quò ad veritatis Helicen versi errorum scopulos declinemus ac vitemus.

Thes. I.

Dantur variæ opiniones de Summo Bono.

S. I.

SI enim ulla in re, sanè de Summo Bono verum est illud Terentianum, *tot sententiæ quot capita Terent. in Phor act. 2. scen. 1.* Nam inter Philosophos, ut taceam plebejos & indoctos tale ac tantum habetur diffidiur aut, vix duos aut tres consentientes invenias, sed de quolibet fermè usurpare possis *Plautinum illud in Stich. act. 1. sc: 11.* *Suus Rex Regina placet, sua cuiq; Sponsa Sponso: & Ciceronianum lib. 14. Epist. ad Attic. Meum mihi placet, illi suum: Quare sine, queso, sibi quemq; scribere. Suam cuiq; sponsam, mihi meam, suum cuiq; amorem, mihi meum.* Nam tam variæ à variis fuerunt receptæ senten-

tia, ut si eas omnes hinc saltem recensere vellemus, potius angustia
 chartæ, quàm earum penuria nobis metuenda esset. Non autem
 necessum aut operæ pretium existimamus, omnes istas sine discrimi-
 ne hinc coacervare, cum quædam sint tam futiles, leves & ignobiles,
 ut sua futilitate ultrò coincidunt, & refutatu planè indignæ sint, sed
 potius publicam Magistratûs coërcitionem mereantur. Quod si ve-
 rò quispiã harum vel cognitione vel recensione delictatur, eum re-
 missum volumus, partim ad *B. Augustinum*, qui lib. 19. de civit. DEI
 cap. 1. refert: *Marcum Varronem* in lib. de Phil. excogitasse.
CCLXXXVIII. diversas sententias non quæcum essent, sed facile esse
 possent. Partim ad *Lactantium* lib. 3. de divin. notit. c. 7. Vel etiam
 ad *Ciceronem* plurimas itidem dissentientes Philosophorum opinio-
 nes proponentem in *questionibus Acad.* & *libris quinq;* de finibus,
 quos potissimum his rebus adimplevit, uti ad oculum cuius eorum
 inscriptiones legenti patet, dum. I. habet *Epicuri de fine bonorum &*
malorum cum rationibus sententiam. II. autem hanc ipsam confutat.
 III. querit de opinione *Stoicorum.* IV. eandem refellit. V. *Sententi-*
am Peripateticorum fovet atq; explanat. Vel cui arridet restr. etior
 hinc de re opinionum enumeratio, adeat *Piccolomineum grad. 9. c. 10.*
Phil. Moral. qui saltem decem recenset: vel *Wendelinum* in *Philos.*
Moral. p. 73. & c. Nos hinc vice brevitas studiosi missis ignobili-
 ribus omnibus, saltem præcipuas & celebratas, quæ ratione qua-
 dam niti videntur, proferemus sententias: Quas quadruplices faci-
 mus.

§. 2. Dum enim unusquisq; summum suum Bonum plerumq;
 ex vitæ genere & instituto quod colit & sectatur, æstimat (ut miles
 victoriam, mercator divitias, Magistratus pacem, Scholasticus eru-
 ditionem, amator rei amatae obsequium sibi eligunt) & Philosopho
 totum genus humanum in tria dispescit genera lib. 1. Eth. c. 5. nempe ἀπο-
 λουσικόν vel voluptuosum. 2. πολιτικόν vel ambitiosum. 3. θεωρητικόν
 vel contemplativum, quibus *Camerarius* in lib. 1. Ethic. c. 6. 4. addit
 scil. χρηματισικόν vel questuosum. Hinc quatuor hæc vitæ diversa
 genera quatuor quoq; diversas fovent ac tuentur sententias. 1. enim
 ἀπολαυσικόν vel voluptuosum cupit saltem ἀπολάυειν frui voluptati-
 bus, & mundi delitiis. 2. πολιτικόν vel civile & ambitiosum, utpote
 quod generosioris animi est, & laudi & gloriæ studet, magis negotia
 Reipublicæ gerenda, quàm mollem ac delicatam vitam affectat, unde
 etiam

etiam honorem sibi *Summum Bonum* eligit. 3. *Ἐσωτερικὸν* vel *contem-
plativum* amore veritatis flagrans, contemplationi rerum & huma-
narum & divinarum unicè se mancipat, scientiamq; cæteris omnibus
præponit, quò spectant *ideæ Platonicae*. 4. deniq; *Ἐξωτερικὸν* su-
am beatitudinem solis pecuniarum aliarumq; terrenarum faculta-
tum lucris metitur, & cum Mida Phrygum Rege aurum saltem op-
tat: De quibus sententiis quid sentiend. im sit, sequentibus demon-
stratum dabimus decisionibus.

§. 3. Cùm autem una harum sententiarum alterâ plus difficultatis
vel observationis involvere videatur, agedum prægnantiorẽ &
nobiliorem prius excutiemus, adeoq; *ὁρῶμεν ὡς ἄνθρωποι* quasi agentes,
primùm de *Ideis Platoniciis*, quas nonnulli pro adituendo summo
Bono venditant, solliciti erimus. Hæc enim omnium reliquarum
nobilissima & potissima, sententia primam omninò meretur venti-
lationem, quæ ut apertè, ingenuè & dextrè à nobis suscipiatur, en-
stimus hanc pro destruenda ista sententia Thesin generalem.

TH. II.

Ideæ Platonicae non sunt *Summum Bonum* Practicum.

§. I.

ANtequam autem rationes nostræ negationis demus, operæ pre-
tium existimamus, ut prius, quid *Plato suis Ideis* voluerit, rectè
intelligamus, rectèq; imbibamus. Si enim hæc in re erratum fuerit,
tota nostra refutatio frustranea & frivola erit. *Communis* quidem
sententia habetur, quod *Plato* per suas *Ideas* intellexerit *formas ex-
tra Deum existentes*, à quibus *singularia* suas capiant *essentias*, inq; his
Summum suum Bonum, ceu alii in divitiis, alii in delitiis, collocaverit.

§. 2. An autem hæc fuerit mens *Platonis*, nō ex communi sententia,
sed ex *Platone ipso* discendum erit, non enim ex opinione, sed ex veritate
ejusmodi res æstimanda est, siquidē nihil novi, mentem alienam af-
fingi Doctis Viris, ut habeatur quod derideatur, quodq; per homi-
num ora traducatur. Ut itaq; hanc controversiam rectè decidere
queamus, rem à capite inchoabimus & ipsam *ideæ* vocem videbi-
mus.

§. 3. *Idea* quæ vox græca est, & latinè vel *forma* vel *speciei* nomine
exprimi potest, nominales suos *Platoni* debet, ut pote qui ipsius pri-

mus extitit autor, afferente Augustino lib. 83. quest. 46. ubi multa de Ideis scitu dignissima dicit, quæ in medium, utpote rem nostram non parùm iuvantia proferre libet, ait autem ita: *Ideas Plato primus appellasse perhibetur: Non tamen, si hoc nomen, antequam ipse institueret, non erat, ideo vel res ipsæ non erant, quas Ideas vocavit, vel à nullo erant intellectæ. Sed alio fortasse, atq; alio nomine ab aliis atq; aliis nuncupatæ sunt. Licet enim cuiq; rei incognitæ, quæ nullum habeat usitatum nomen, quodlibet nomen imponere. Et paulò post ubi de nomine verba fecerat, pergit, & ceu approbans Ideas à Platone assertas, ita definit: *Ideæ sunt principales quædam formæ, vel rationes rerum stabiles, atq; incommutabiles, quæ ipsæ formatæ non sunt: Ac per hoc æternæ, ac semper eodem modo sese habentes, quæ in divina intelligentia continentur. Et cum ipsæ nec oriantur, nec intereant, secundum tamen eas formari dicitur omne quod oriri, & interire potest, & omne quod oritur & interit.**

§. 4. Quibus verbis B. Augustinus non tantum ostendit Platonem primum ejusmodi Idearum inventorem & assertorem fuisse, sed simul quoq; hanc sententiam ceu veram approbat & definitione sua ratam facit. Cujus vestigia quoq; premit Ludovicus Vives in com: in August: lib. 7 de civit: Dei c. 28. Ubi idem tractat Augustinus: Verba Ludovici sunt sequentia: *Ideæ à spectando sunt dictæ, quoniam qui aliquid est acturus, Ideam inspicit, ad quam suam actionem aptet, ut pictori, qui de exemplari aliquid pingit, hoc exemplar est Idea. Et ita omnium rerum apud Deum Ideæ sunt, quas spectans ille fabricator mundi singula in lucem mundumq; ed. t. Itaq; Platoni tria sunt universorum principia. 1. Mens, quæ opus conficit Deus ipse. 2. Materia, ex qua fabricatur & 3. Exemplar quod Deus, cum aliquid agit, spectat. Eadem mens de Platonis sententia est Marsili Ficini in argumento lib. 6. de Republica: Francisci Philelpbi lib. 1. Phil. Mor. ut & Piccolominei grad. 9. c. 24. & c.*

§. 5. Et ne saltem autoritate agere, sententiamque nostram stabilire videamur, Ecce assertum hoc ex ipsius Platonis propria confessione & verbis probatum dabimus: In *Timeo* disputat Plato mundum non fortuito, neque per se ab æterno existisse, sed certo DEI decreto, & efficaci potentia fuisse creatum, & quidem ita, ut Deus
[in

in mente sua delineatam mundi imaginem ad opus perduxerit statim
tempore: Ejus verba utut prolixitatem secum trahant referre cogimur. *Opificem quidem ait & patrem hujus universi invenire difficile est, & inventum ad omnes referre impossibile est. Rursum considerandum, utrum ad exemplum opifex ipsum fabricaverit, num ad id quod secundum idem & eodem modo se habet, aut ad id quod factum est. Atqui si pulcher est hic mundus & opifex mundi bonus, sempiternum certe exemplar maluit imitari. Sin secus quod ne dictu quidem fas ad generatum exemplar respexit, cuius clarum est, quod ad sempiternum. Mundus enim ex his quae facta sunt pulcherrimus est, opifex autem ex causis optima causa. Sic igitur factus ad id est effectus, quod ratione ac sapientia sola comprehendi potest & immutabile permanet. Ex quo efficitur, ut necesse sit hunc mundum alicujus simulacrum esse. Rationem autem originis naturaliter explicare maxima difficultatis est. Haecenus verba Platonis, quibus perspicue docet, sempiternum exemplar mundi opificem fuisse imitatum, & hoc nulli esse, nisi in mente divina: imò mundum esse alicujus simulacrum, Dei scilicet sempiterni, ut in Deo mundi sit idea, & mundus ipse Dei simulacrum. Et ne aliquis obgannire audeat, Platonem intellexisse exemplar non internum in ipso Deo existens, sed externum, audiat eundem paulò post in Timæo asserentem: Deum mundum sibi fecisse similem, Deumque in seipso complecti viventia cuncta; Ejus verba, si audire aures, audias sequentia. Videamus ad cujus animalis similitudinem Deus mundum constituit. Uni cuidam propriaeque animalium speciei similem fecisse ne arbitremur: Nam si imperfecto animali similis esset factus, pulcher certe non esset. Imò illius animalis simillimum esse dicamus, cujus animalis cetera & generatim & singulatim partes sunt. Illud siquidem viventia omnia, quae sola mente perspiciuntur in se ipso complectitur, sicut mundus hic nos, & cetera quae cernuntur animalia, continet. Et porro ita differit, has ob causas nata sunt eorum astra, quae per caelum meantia, conversiones habent, ut hoc omne animal quod videmus, esset perfectissimo animali illi, quod mente*
perspici-

perspicitur, eternitatis institutione simillimum. En similitudinem mundi ac Dei, effectus & efficientis; En imaginem non externam sed in Deo existentem: Ecce Ideas in DEO, quem animal vocat sua grandiloquentia & figurato loquendi genere. Est itaq; Plato totus in eo comprehensus, ut in natura ac per naturam Deum contempletur, Deum veneretur & eum ceu ubique presentem nobis sistat. Et ne fortè minima quoque suspicio de sententia hac se non sic habente, cuidam suboriri queat, tertio clarissimum locum mentem Platonis clarissime explicantem producere lubet. Ita enim *Socratem cum Hippia disputantem introducit.* Socr. *Omnium qui rem aliquam operantur, Hippia (ut mihi quidem videtur) ea est conditio, ut aut sciant quæ agunt aut nesciant. Num idem videtur & tibi?* Hipp. *Videtur.* Socr. *Nonne qui sciunt periti, qui verò nesciunt rudes atq; imperiti nominantur?* Hipp. *Nominantur.* Socr. *Quem intelligemus peritum Hippia, nonne qui eius rei, quam facturus certam & rationem & speciem habet?* Hipp. *Eum ipsum,* Soc. *Annulum igitur illum tuum, quem in Olympicis mira arte elaboratum ostentasti, num effecisses, si & sculpendi rationem & annuli speciem non habuisses?* Hipp. *Non profecto,* Soc. *Et Phydias cum Minervam, quæ in arce est, faceret.* Hipp. *Minimè.* Soc. *Eja agè bone vir, ille qui à nobis ὀνομαστός à Poetis rerum epifex dicitur, qualem credis?* Hipp. *Maximum.* Soc. *Putasne eum certâ ratione agere, quemadmodum periti sculptores solent: An potius ceco ac fortuito eventu, quemadmodum rudes & inexperti?* Hipp. *Certa ratione, O Socrates, quemadmodum periti.* Soc. *Dicesne eum irrationabili potentia ignoranter agere veluti naturam?* Hipp. *Nequaquam.* Soc. *Fatendumne ab eo præsciri quæ fiunt, ut si hominem faciat, cognoscere se facturum hominem, si equum, equum?* Hipp. *Fatendum* Soc. *Nonne quemadmodum in te erat species annuli & in Phydia species Minervæ, erunt similiter in eo species hominis & equi?* Hipp. *Erunt.* Soc. *Habebit igitur is rerum, quas facit, omnium species?* Hipp. *Habebit.* Quibus verbis iterum quid explicatius dici potest, nimirum omnia quæcunque facta sunt, processisse à Deo, secundum quod cognoscit quod illa sic condere voluerit. Quæ omnino vera imò verissima sententia est, quam rationibus porro ita demonstratam damus.

I. Omne agens per intellectum habet in sua mente præexistentem formam vel rationem rei fiendæ, quam cognoscit, & ad quam

quam ceu ad exemplar rem efformat. Sicut artifex vel architectus similitudinem domus ab intra habet in mente sua præexistentem, ad quam intendit assimilare domum ad extra, vel uti Sutor in sua mente gerit ideam calcei, Sartor exemplar vestis, ad quod res extra mentem fiendas conficiunt.

Sed Deus est agens per intellectum, dum produxit res per intellectum, omnium enim rerum est artifex, tum mundi tum eorum quæ in mundo existunt, testante scripturâ E. Deus apud se habet præexistentes rationes & formas rerum, quas mente & cognitione complectitur, quæ nihil aliud sunt, quàm Ideæ ad quarum similitudinem mundum & omnia in eo, creavit.

2. Quicumque non temerè sed summa ratione operatur, ille agit secundum ea quæ præcognovit & præfinit. Deus autem ita agit & semper egit, in ò longè meliùs quàm alii artifices.

E. Ideæ rerum in divina mente rectè collocandæ.

§. 6. Quamvis igitur sententia hæc Platonis de Ideis *in se & pro ut, jacet omninò vera sit, nec temerè notam censoriam mereatur, interim tamen quatenus scopum nostrum concernit, toleranda non est: Hic enim solliciti sumus de bono morali hujus vitæ, & fine hominis practico, qui in nullius rei vel Ideæ etiam sic intellectæ contemplatione consistere potest. Nam*

1. *Praxis & Theoria membra sunt opposita, non ergò coincidere debent, neque bonum practicum in theoria quærendum: Quantum enim differt scire aliquod Numen æternum esse, illudq; rectè cognoscere, quod sit fons omnis boni, justitiæ & veritatis, quodque remuneretur virtutem & vindicet vitium: Et intimè illud amare omneq; illud exsequi, quod à nobis in hac mortalitate fieri vult, tantum quoque distat nostrum bonum practicum à bono Platonis speculativo, quanquam inficias ire nolimus, unum alterum multùm juvare, eorumque sine altero admodùm convenienter subsistere non posse.*

2. Non impedit, quin etiam mali & vitiosi Idearum contemplationi dediti esse possint, quod tamen nostrum bonum respuit, utpote quod solis bonis proprium. Taceo.

3. Quod bonum morale sit $\kappa\tau\eta\tau\acute{o}\nu\ \alpha\iota\delta\epsilon\acute{\omega}\pi\omega$ & per actiones sæpè repetitas acquiratur, quod iterum de contemplatione Idearum affirmari nequit, quippe quæ in $\gamma\upsilon\omega\sigma\epsilon\iota$ non in $\pi\epsilon\acute{\rho}\acute{\alpha}\zeta\epsilon\iota$ consistit.

§. 7 Et hoc fortè voluit quoque Aristoteles, dum impugnavit

B

Platonem

Platonem lib. 1. c. 6. Non enim vero simile videtur, nec de tanto Philosopho suspicari licet, ipsum aliquid Platoni præceptori suo affixisse, potius ob bonum practicum quod ipse affirmat eum refutavit, vel non tam Platonem, quam Xenocratem aliosq; Platonis discipulos, qui malè sententiam Præceptoris de Ideis capiebant, sub nomine Platonis, utpote cujus auctoritatem prætendebant, insectatus fuit. Quamvis Casus lib. 1. spec. moral c. 6. p. 30. Philosophum ab omni culpa liberum non prædicet, sed labem invidiæ ipsi aspergat, asserendo, eum in Philosophando quidem Principem, sed in refutando Carvelum fuisse, quia illos calcibus invidiæ petat, ex quorum uberibus Nectar Philosophiæ suxerat.

Th. III.

Neq; in honore & gloria consistit Summū Bonum.

§ 1.

Misis iis qui unice speculationibus incumbunt, in iisque suam felicitatem positam æstimant, ad χαριέντας elegantes & Politicos transimus, quorum animos splendor principum ac potentia magnatum adeò dementat, ut tantum honorem affectent, & affectus suos non aliter, nisi oculis omnium in se coniectis tranquillare queant, unde etiam gloriam ceu ultimum finem sibi præfixum tuentur & exosculantur. Quod secundum Philophum tertium hominum genus est & πολιτικόν vocatur.

§. 2. An autem ejusmodi ambitiosi rectè faciant quod neglecta virtutis actione vulgi auram captent, in eaque suam felicitatem collocent, judicent ii quibus sana mens in corpore sano. Nos existimamus, eos omnes, qui hac lue infecti sunt, miserè & fall. & fallere; & quidem non sine causa: Nam i. Propter quod aliquid tale est & expetitur, illud ipsum magis tale est & expetendum, axioma est Philosophicum. Sed propter virtutem honor est, honoratoque confertur. Nam omnis honor, qui aliàs duplex, unus qui ob majorum virtutem confertur, alter qui ob propriam virtutem exhibetur, suum fundamentum & causam agnoscit ipsam virtutem, unde etiam honor accuratis & ingenuis morum censoribus signum vel testimonium excellentiæ est, quæ in honorato deprehenditur propter virtutem. Et ita honor non ipsum bonum, sed saltem signum sequens bonum.

2. Summum Bonum est & esse debet οὐκείον proprium ut disputat. i. de-

1. demonstratum, tale autem honor non est: Nam de utroque & proprio & patrio verum est quod dixit Philosophus lib. 1. Et hic c. 3. τὴν τιμὴν δοκεῖ ἐν τοῖς τιμῶσι μᾶλλον εἶναι ἢ ἐν τῷ τιμομένῳ honorē magis esse honorantis quam honorati, siquidem ab honorante procedit, ab e- jusque arbitrio dependet: Unde nullius nobilis arbitrii est, ratione honoris patrii, ex quibus nascatur parentibus, an ex nobilibus an ex plebeis, uti nullius studii, ratione honoris proprii ut ab hoc vel isto honoretur: Adeo ut satis dextrè Lipsius cent. 1. Epist. 77. dixerit. *Mih sententia de me non nisi apud me fertur. Nec quis sim alium rogo, interno isto iudice si probus audiam, quid addens aut dement mihi hi sermones: nec famam tamen sperno aut negligo, sed hoc te moneo, non esse nostræ potestatis.*

3. Summum Bonum debet esse *δυσάφαιερον*, ut supra quoque monitum. Tale quid autem honor non est, sed breve, dubium, incertum, fugax & fallax; cū enim ab honorante venit, per hunc ipsum facile vel ad tempus intermitti, vel etiā planè auferri potest, uti exempla tūm profana apud Senec. Epist. 47. & lib. 3. de ira c. 18. Item Plutar. Suet. &c. Tum sacra Coræ Num. 16. Goliathi 1. Sam. 17. Pharaonis Exod. 14. Hamani Estheræ 7. Nebucadnezaris Dan. 4. Herodis Act. 12. & aliorum plurium, quæ omnibus suis circumstantiis huc transcribere angustia chartæ vetat, & in locis allegatis prolixè legere est, adeo ut rectè vitream hanc ac lubricam mundi dignitatem descripserit. Horat. lib. 3. Od. 29.

*Fortuna sevo lata, negotio &
Ludum insolentem ludere pertinax
Transmutat incertos honores
Nunc mihi nunc alii benigna,*

Ut jam taceam violentiam, quæ gloria mundana sæpè acquiritur, fovetur & potissimum exercetur, siquidem nuncquam tranquillat vel corpus vel animum, sed curarum plena & animam turbat & corpus distrabit, quod optimè expendebat Rex ille, cujus mentionem facit Val. M. lib. 7. c. 2. quem Antigonus fuisse refert Stob. serm. 47. Oblatum sibi diadema diu manu tenens & quasi obstupescens, dicebat, *O nobilem magis quàm felicem pannum, quem si quis penitus cognoscat, quàm multis sollicitudinibus & periculis & miseriis sit referatus, ne humi quidem jacentem tolleret.* Cujus vestigia legens Æschines Diis gratias agebat, quod à Republica tanquam à rabioso cane liberatus

ratus esset d. q. vid. Cael. Rhodig. lib. 8. c. 1. antiq. lect. ut silentio quod
que involvam peccata tum Originale tum Actualia, quæ ambitionem
fontem, unde profluxerunt, & matrem quæ ea peperit, agnoscunt.

§. 3. Quæ cum ita se habeant, meritò quivis, si sanæ mentis
compos felicitatem suam in honore non quæret, potius virtutem
Ipsam sectabitur, quàm inanem istam in hac vita umbram, præfer-
tim cum non gloriam hanc vanam sed virtutem veram, gloria divina
& æterna excipiat. Neque patietur se commoveri vel ullis etiam ra-
tionibus, quas gloriæ cupidi pro defendenda sua opinione allega-
re audent, dum. 1. appetitum & desiderium hominum ad consequen-
dum honorem urgent. 2. Gloriæ constantiam & diuturnitatem alle-
gant, quod dignum laude virum Musa vetet mori. 3. A tejus dignita-
tem, quæ homines Deo conformes reddit, provocant.

§ 4. Quæ ratiunculæ omnes tanti tamen momenti non sunt,
ut à recta virtutis via ad de via quemvis rectè sentientem seducere
queant. Quod enim primam concernit rationem respondemus negando
consequentiam, non enim sequitur, quodcunq; homines appetant il-
lud est Summum Bonum, siquidem etiam divitias, voluptates & nescio
quid non sæpè appetant, quæ omnia nec titulum Summi Boni me-
rentur. 2. Non ex nudo appetitu, sed tali vel tali modo qualificato æsti-
mandum est S. B. Appetitus enim duplex est vel licitus vel illicitus:
licitus, quo res per se, modo legitimo, & primariò appetitur, illicitus
autem quo saltem per accidens, modo vitioso secundum quid & secun-
dariò aliquid desideratur: quâ distinctione præmissa respondemus ad
Majorem limitando; Quodcunq; omnes omninò homines appetitu li-
cito & legitimo per se & propter se, primariò & non secundariò appe-
tunt, illud est S. B. jam negamus Minorem: Quamvis enim quidam
homines appetant honorem, appetunt tamen non omnes, neque ap-
petunt modo debito, licito & legitimo, cum ex ambitione & superbia
eundem ceu ultimum finem desiderent, qui appetitus rectæ rationi
non congruus, sed carnalis est.

3. Non per & propter se appetunt sed propter opinionem virtutis,
ut quanto majores dignitate sint cæteris, tanto etiam virtute excel-
lere alios sibi videantur.

4. Posito quod etiam per se honorem appetant, nondum ta-
men sequitur honorem esse ipsum S. B. siquidem duplici modo ap-
peti potest, vel ut Bonum ultimum, & ita est vitium & prohibitum
vel

vel ut *fama encomium* & ita quidem concessum, verum non est ipsum bonum sed boni testimonium.

II. Discutitur mediante §. 1. req. 3. ibi enim ostendimus lubricitatem gloriæ mundanæ, quam facile si non planè auferri, tamè minui queat, dum honor ab honorante, cujus voluntas ambulatoria, expectandus. *Addimus præterea & hoc*, quòd si vel maximè honor diu duraret, non tamen beatitudinem ipsam esse hinc sequeretur, siquidem umbra, qualis honor est, corpus quidem comitari potest, non tamen ipsum corpus est, & ita nec ipsum S. B.

III. Itidem infirmo nititur talo, siquidem non, omne illud est S. B. practicum, per quod Deo conformamur, nam & docti vel eruditi per scientiam & sapientiam ut & potentes per imperium DEO conformes redduntur, cum tamen neutrum horum finis moralis sit. 2. Quando honor Deo & aliis excellentibus creaturis ascribitur, tunc attribuitur ipsis non ut *bonum ipsum*, sed ut *signum vel testimonium boni* & excellentiæ præexistentis. B. S. igitur illud esse debet formaliter, per quod divinæ bonitati & beatitudini conformamur, quod autem *non honore externo*, in quo nec Dei beatitudo consistit sed *virtute e, usq; exercitio fit.*

Th. IV.

Neq; in divitiis consistit Summum Bonum.

§. 1.

Bona fortunæ, & sic etiam opes, vitæ humanæ maximè necessarias & utiles esse, nemo nostrum negat, adeò ut eas honestè partas abiicere velle non tantum stultum æstimare sed & cum ipso Philosopho pro adminiculis jacquirendi summi Boni necessariis easdem habere non vereamur: Cum nihil præclari quispiam agere possit, qui vel nunquam sano corpore præditus, vel omnibus bonis amicis destitutus sit *lib. 1. Eth. c. 8.* Verum in *divitiis felicitatem ipsam* quærere velle, & se beatum prædicare, si secundum *Psalmistam Psal. 134. promptuaria de victu in victum redundantia fuerint*, uti multi faciunt, & in his *cardinem beatitudinis* verti putant, hoc est quod vituperamus.

§. 2. Neq; movemur eorum *ratiunculis & falsis persuasionibus*, quibus decipiuntur quod nempe 1. *Omnia divitiis pareant secundum Ecclesiastem c. 10. & Horatium lib. 2. Sat. 3.*

B 3

Omnia

— — — — — *Omnia res*
Virtus, fama, decus, divina, humanaq; pulchris,
Divitiis parent, quas qui construxerit, ille,
Clarus erit, fortis, justus, sapiens, etiam Rex
Et quicquid volet.

Vel 2. quod *omnia iis pateant*, sicut Philippus dicere solitus, *Omnia castella expugnari posse, in qua modò a sellis onustis auro possit ascendere*, innuente Cicerone ad Attic lib. 1. epist. 11 & Horatius lib. 3. Carm. Od. 16.

Aurum per medios ire satellites,
Et per rumpere amat saxa, potentius
Ictu fulmineo &c.

Quodq; 3. *Sine divitiis vel fortunæ bonis felicitas consistere nequeat*, adsti pulante ipso Philosopho lib. ult. Et lib. 1. 8 t. 75. Et lib. 7. Polit. c. 1. Cujus verba ob chartæ angustiam hîc transcribere non licet.

§. 3. Nam hæ omnes tales ac tantæ non sunt, ut à statione rectæ sententiæ quempiam dimovere queant, ut enim hîc prius, antequam ad præmissas ratiunculas *in specie* respondemus, aliquid pro destruenda hac sententia *in genere* adiciamus, notandū est, quod *divitiæ sint duplices*, vel *naturales* vel *artificiales*, (duplici enim hac differentia veniunt Philosopho lib. 1. polit. c. 6.) *Naturales* quas ipsa natura suppeditat, & quibus homini subvenitur ad *defectus naturales* tollendos, sicut *cibus, potus, vestimenta, habitacula & hujusmodi alia*: *Artificiales* autē quæ ipsâ arte, studio & hominū industriâ comparantur, quæq; *primariò & secundum se naturam vel vitam non juvant*, ut nummi, quibus corpus neq; ali, neq; ab injuria calî defendi potest, sed quas ars humana saltem invenit propter facilitatem commutationis, ut sint quasi mensura rerum venalium.

§. 4. In neutro autem harum genere consistere potest S. B. *Non in naturalibus*, hæ enim quærantur ad sustentandam naturam hominis homo enim edit ac bibit &c. ut vivat, unde ultimus finis esse nequeunt, sed saltem ad hominem ceu ad finem ordinantur, & sic in ordine naturæ *infra hominem & propter hominem sunt* secundum Ps. 8, *Omnia subjecisti sub pedibus ejus*. Neq; *in artificialibus*, nam & hæ corraduntur non nisi *propter naturales*, nemo enim acquireret tales,
fi

si per eas res ad usum vitæ necessariæ comparari non possent, unde multò minus ratione ultimi finis gaudent.

§. 5. Omnes divitiæ inserviunt saltem *corpori*, non autem *animo*, nisi per accidens, imò potius *animum inquietant*, si semel avaritiâ sauciatus fuerit, nihil enim avarus intendit & cogitat quàm pecuniam, hanc unicè dum spirat sperat, hanc ceu suum Deastrum colit ac veneratur, unde etiam *Gregorius* animum avaritiæ obsessum *plumbo* comparare non veretur, quia mentem, quam infecit, ita gravem reddit ut ad appetenda sublimia attolli nequeat. Quanto autem præstat animus corpori, tanto etiam excellentior requiritur res, quæ animum refocillat atq; tranquillat.

§. 6. *Primaria etiam S. B. requisita divitiis non competunt*, ut pote I. non sunt bona *οικεία* sed *αλλότρια*, quæ pendet à fortuna, quam *sedentem* pinxit *Appelles*, quia nunquam stetit, *Ælianus lib. 2. var. Hist.* Et *Bion* apud *Stob. serm. 91.* eos ridiculos esse ait, qui dent operam divitiis, cum eas porrigat fortuna, servet illiberalitas & aufert benignitas. Malis quoq; conveniunt siquidem pessimi quiq; ditescunt, & sæpe contingere videmus, ut quò quis nequior, eò ditior & quò quis ditior eò nequior, adeò ut rectè *Menander*

ἔδεις ἐπλάτῃσε ταχέως δίκαιον.

Nemo qui justus, subito ditescere potest.

II. Non *αυταρκές ατον*, siquidem non satiunt sed turbant animum, sunt enim *finita, corporea, transitoria*, quæ *infinitum, incorporeum & sempiternum*, quale est anima, non tranquillat. Hinc *χρηματισται* quò plus habent eò plus cupiunt, & non quod habent numerant, sed tantum quod non habent exoptant, & sacco perforato similes sunt, qui repleti nequit. Ut itaq; *Poeta* rectè de hac argentan-gina dixerit,

Crescit amor nummi, quantum ipsa pecunia crescit: quod habet, quod

Et Hieronymus ad rusticum monachum, avaro tam deest, quod non habet, quia aut non habita concupiscit, ut habeat, aut habita metuit, ne amittat

III. Neq; *δυσσφαίγετον*. Sunt enim instabiles & incertæ, & vel levi amitti possunt momento: sunt bona fortunæ, ideoq; fortunæ sub-jacent, fluunt & refluant, dantur & adimuntur; Adeò ut *Horatius lib. 2. Epist. 2.* jam dudum vivis quasi coloribus fortunæ mutabilitatem d pinxit itaq; en.:

Non

*Non proprium quicquam, puncto quod mobilis hora
Nunc prece, nunc pretio, nunc vi, nunc sorte suprema,
Permutat dominos, & cedit in altera iura*

Et ovidius lib. 3. trist. Eleg. 7.

*Nempe dat & quodcumq; libet fortuna, rapitq;
Frus & est subito qui modo Cresus erat.*

Quibus in genere sic præfatis & præmissis, nunc in specie quoq; ad singulas supra tactas respondebimus objectiones & quidem ad (1.) dicendo quòd omnia corporalia obediunt pecuniæ, quantum ad multitudinem stultorum, qui sola corporalia bona cognoscunt, quæ divitiis acquiri possunt: Judicium autem de S. B. non petendum est à stultis, sed à sapientibus, sicut iudicium de saporibus non ab his qui corruptum, sed ab eis qui bene præparatum & moderatum habent gustum. Et licet etiam quoad (2.) divitiis omnia venalia habeantur, sunt tamen illa solum corporalia non autem spiritualia quæ vendi nequeunt, prout Prov. 17. rectè dicitur: *Quid prodest stulto divitias habere, cum sapientiam emere non possit.* Ad (3.) verò Resp. Negando consequentiam hanc, sine quo S. B. commodè esse nequit, illud est ipsū S. B. Aliud enim est S. B. non potest esse sine opibus & fortunæ bonis, aliud autem S. B. sunt ipsa bona fortunæ vel divitiæ, uti accuratè distinguit Philosophus lib. 1. Eth. c. 1. inquit, *sicut unum & idem non sunt illa sine quibus nemo sanus esse potest, & ipsum illud esse sanum, ita nec idem sunt bene vivere & ea sine quibus bene vivere non licet.* Ita homo sine respiratione vivere nequit, nec tamen respiratio vita ipsa est. Similiter nec somno carere vita potest, licet ille vita ipsa non sit, quod nervosè etiam ostendit Horneus in Phil. Moral. lib. 1. c. 8. His itaq; *χρημάτων* objectionibus discussis thesin hanc verbis Hieronymi ad Thesiphontem scriptis concludimus: *Quid aliena satagimus? quid turbamur? Ambient terrena gentiles, quibus cœlestia non debentur. Concupiscant presentia, qui futura non credunt. Christianis hereditas sit Christi divinitas.*

Th. V.

Multò minus in voluptate consistit.

S. I.

ITa expositis & explosis sententiis eorum, qui præ aliis meliora sapere videbantur, in theatrum tandem producimus genus muliebre

bre & voluptuosum cujus Peripheria & centrum, dicente Plutarcho, abdomen est, & quod in corporis voluptate felicitatem suam unice collocat.

§. 2. Quod desiderium, etsi brutorum magis quam hominum, proprium est, hoc saltem nomine commendatur, quod non pauci, qui ad sublimia quoque erecti, eodem in luto tamen hæreant, & cum vulgo, dum supra vulgus sapere volunt, sentiant: Quos omnes, ceu pessimè sentientes & cum vulgo tantum sapientes, merito refutamus.

§. 3. Ut autem congruenter hoc fiat, ante omnia ambiguitatem vocabuli voluptatis hic evitatam cupimus, quæ non simplex, sed varia & multiplex est, dum suo nomine involvat vel voluptatem spiritualem, quâ delectantur renati, vel naturalem, quam homo ex virium refectione capit, vel moralem, quæ est conscientie tranquillitas, quæ omnes hic sub controversiam non veniunt, sed saltim carnalis illa & perniciofa, quæ sensus habet iudices ac arbitros, maximeque à sensu tactus & gustus percipitur: Hæc enim est amasia illa, quam proci aperto sinu excipere gestiunt & tam studiosè quærunt, ut utar verbis Plautinis, cujus doctor & autor vulgò Epicurus habetur, quem tamen teste Cicerone Tusc. 2. antecedit Aristippus Cyrenaicus, Socratis quidem sed admodum de generis hac parte discipulus, qui assecclas habuit Hieronymum Rhodium & secundum communem sententiam quoque Epicurum potissimum, qui per se non tantum hoc infame dogma defendit, sed etiam discipulos, qui hanc sententiam tuentur, post se reliquit, ut propterea à multis vapulet & malè audiat, pro ut Cicero lib. 2. de finib. & lib. 1. & 3. de nat. Deorum variis modis eum vehementer perstringit & ceu hominem mollem, voluptuarium & sine acumine describit, qui nihil oleat ex Lyceo, nihil ex Academia, nihil quoque ex puerilibus disciplinis, & nescio quid non ipsi impingit.

§. 4. Quæ tamen ab historica fide, si adhibetur & consulitur, videntur esse aliena, siquidem Diogenes Laertius lib. X. pag. mihi 602. seq. ex Diocle Athèneo, Demetrio, Magnosio & aliis vitam, doctrinam & mores ipsius melius depingit; Ubi eum virum optimum & qui sobriè philosophatus fuerit, quiq. XIV statim ætatis suæ anno Philosophia operam dare cepit, qui Deos coluerit, patriæ debitum persolverit, pius in parentes, beneficium in fratres, mansuetum in socios & vilissimis cibis, pane cibario & caseo, si epulari preciosius voluerit, contentum.

rum introducit, & ne hoc sine probatione dixisse videatur, adducit
epistolas ab ipso Epicuro scriptas, quarum I. *ad Herodotum* exarata,
 summam rerum naturalium omnium continet, in qua atis nervosè
 philosophatus. II. *Ad Pitoclem*, in qua de cælestibus corporibus
 agit. III. *Ad Menæceum* scripta ipsius vitam continet, ubi inter alia
 quoq; hæc verba apposuit: *Cum voluptatem dicimus finem esse, non lu-*
xoriosorum NB. & nepotum voluptates easq; quæ in gustu & in gluvie
sunt posita NB. ut quidam ignorantes & à nostra sententia dissidentes
aut malè accipientes, arbitrantur, sed non dolere, animo & corpore
tranquillo & perturbatione vacare dicimus, non enim convivia & com-
messationes, non puerorum mulierumq; congressus suavem gignunt vi-
tam, sed ratio sobria causasq; perscrutans. Qualia plura illic legere
 est, ut planè videatur in voluptate animi & non corpori, Epicurum
 felicitatem collocasse. Unde etiam *Seneca de vita beata c. 13.* scribit,
senectam Epicuri male quidem audire & infamem esse, sed stigmatiorum,
ut vulgò habetur, magistram minimè esse. Et in *epist. 92.* ex Laert. re-
 fert, Epicurum morti jam vicinum epistolam ad amicos scripsisse,
 quâ testatur: *Se vitæ laudabiliter exacte, & rationum subtiliter à se*
inventarum memoriâ in singularem animi letitiâ erigi, licet urine
difficultate jam torqueatur, & insanabilem exulceratâ ventris dolorem
sepiat. Ut jam sicco pede transeamus sententias nervosas & præ-
 claras, quas *Seneca* ex ipso Epicuro deprompsit & suis epistolis passim
 inseruit: Non etiam tangamus *Symbolum*, quod antiquo æri his ver-
 bis incisum inventum fuisse testis est *Epist. 28. Agnitio peccati initi-*
um salutis. Ut etiam missum nunc faciamus candidum *Cæli Rhodi-*
gini de Epicuri vita iudicium lib. 13. c. 25. & lib. 19. c. 27. & lib. 20. c.
24: Ipse Cicero lib. 2. de finib. postquam acriter ipsum oppugnavit,
 quasi penitentia suffusus, aliter de vita Epicuri sentire incipit, dum
Epicurum ita vixisse concedat, ut ipsius vitâ refellatur oratio.

§. 5. Ut itaq; non tam ipsi Epicuro, quam ipsius asseclis vel di-
 scipulis rectè mentem Præceptoris non percipientibus, hujus absur-
 di dogmatis professionem ac defensionem attribuere non vereamur:
 Quamvis Epicurum omnis omninò culpæ vel erroris inson-
 tem prædicare nec velimus nec possimus, errorem enim incurrit
 dum voluptatem animi S. B. ipsum fecit, ubi tamen nosse debuisset,
 quòd aliud sit id quod pertinet ad essentiam, aliud autem, quod est i-
 plius proprium accidens essentiamq; sequitur, sicut in homine, aliud
 est

est, quod est animal rationale, aliud autem quod est risibile: Atque ita delectatio animi sit quodam proprium boni accidens, quod ipsum consequitur, non autem ipsum bonum est. 2. Scire debuisset, quod *signum rei non sit ipsa res*, alias enim essent idem adjunctum & subiectum, quod tamen esse nequit, Logica docente. Imò 3. notum ipsi esse debuisset, quod *nulla rei affectio esset de essentia rei*, alias enim non esset affectio, sed principium internum essentiam constituens: Cum tamen principium & affectio toto cælo differant.

§. 6. Misso itaque Præceptore, discipulos utpote grandius dogma profitentes aggredimur, eosque exinde refellimus, quod voluptati corporis præcipua S. B. requisita non convenient, quæ tamen omnino consentientibus omnibus sanioribus Philosophis requiruntur: *Qualia docente ipso Philosopho in 1. disp. à nobis adducta fuerunt* quod nempe verum bonum debeat esse 1. θεῖον, quale voluptas non est, siquidem omnes actiones divinas potius impedit, quam promovet 2. Οικειῶν, quod etiam voluptati denegatur, utpote quæ homini cum bestiis communis est. 3. Δυσσφαιεστον, quo etiam maxime caret voluptas, nihil enim citius evanescit quam voluptates: Momentaneæ sunt, caducæ, fugaces & auræ similes, quæ simul atque corpus attigit, diffugit & diffunditur. 4. Αὐταρχέστατον, quod hic quoque deest, semper enim voluptas famem habet, & transacta non satiatur, dicit Hieronymus & Ambrosius sup. Luc. c. 6. *Nihil satis est voluptati, semper famem patitur quæ alimentis perpetuis impleri nescit.* Quibus sic se habentibus tantum abesse existimamus aut voluptatem pro S. B. habemus, quin illud Horatianum lib. 1. Epist. 12, in geminemus eoque cuivis voluptuario aurem vellicemus.
Sperne voluptates, nocet emptæ dolore voluptas.

SOLI DEO GLORIA.



QA 77 784 (2)

SOLE TO CHINA

76

76A





10

EMILIS
Major

MINUS

MINUS

1212

2111
M

1212

M DAVI
1212

CHRISTIAN

de
al
la
N
ta
re
dy
flu
Hi
mo
tio
to
ite
ce
car
rita

S
int
hab
qu
Su
14.
bi
rem

